



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

MENTETI KETT-

WIG J. U. D.

De

**Veritate Phi-**  
**losophiæ Hobbesianæ;**

Contra

*Virum Amplissimum*

**ULRICUM HUBERUM;**

Curiae Frisicæ Exsenatorem, &c.

ad

*Illustrem & Amplissimum*

*Dominum*

**D. GERHARDUM FELT-**  
**MANNUM,**

Jætum celeberrimum, Sacræ Reg. Ma-  
jest: Daniæ & Norwegiæ Consiliarium  
dignissimum, Dicafteriique Ostfri-  
sici Assessorem meritissi-  
mum &c.

**Epistola.**

---

Anno clc lcc xcv.

**A**dice nunc, quod isti, qui nunquam vultae suae sunt, primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non a prioribus didicit: deinde in ea re sequuntur, quae adhuc quaeritur. Nunquam autem invenietur, si contenti fuerimus inventis. Praeterea qui aliam sequitur, nihil invenit, imo nec quaerit. Quid ergo non ibi per priorum vestigia? Ego, vero, usque in rostris: sed si propagem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illa etiam futuris relatum est.

*Epicurus apud eundem ep. 29.*

Nunquam volui populo placere, nam quae ego scio, non probat populus; quae probat populus, ego nescio.

et alio loco

XXXI

*Magnifice, Amplissime Vir.*



A, quæ subinde prodeuntibus annis, erga Viros, eruditione illustres, mihi propria successit veneratio, Tuam Ampl. Vir, Qui Tu Tibi, scriptis à Te editis, principem inter Jctos, parem cum primo inter Philologos, comparasti locum, quovis modo, ambire favorem, pia sanè causa fuit. At, cum is, qui mihi inest naturalis rubor, Tibi præstandam observantiam, publicè merito contestandam (cum privatus eandem, privatos inter parietes, admirando prolecutus fuerim :) huc usque suppresserit. Ecce Amplissimus Huberus, nomen & inter Jctos, & Philologos suo merito notissimum, nec & hinc sine veneratione à me nominandum, hæc, qua huc usque inclusus cavea, evolandis, publiceque, quàm sanctum, quàm antiquum mihi Tuum nomen sit, testandi, assalam, vel inde pergratam mihi præbuit. Et enim aliquot ab hinc mensibus, cum meum de Ambitu quâ antiquo, quâ hodierno, conscriptum tractatum, cum amicis conferrem, ejusque calci, defensionem Philosophiæ Hobbesianæ, contra virum Amplissimum Huberum, subjecissem, evenit, ut fama nanc rem

ad Eundem pertulerit. Unde quanto ejus  
litteris me dignatus est Ampl. Huberus, qui-  
bus fatebatur, se intellexisse, me suas fore  
impugnatarum sententias, adjiciendo, se hoc  
haud improbatum, sed æquo animo cala-  
mose scriptum meum excepturum. At,  
cum interea Huberus, sane haud parvo Rei-  
publicæ litterariæ detrimento, satis conces-  
serit, statui, ne cum Manibus, ipsiusque (ut  
dicitur) umbra certare videar, has quales-  
cunque chartas suppressere: Ni quidam, me  
vel invitum in hoc produxisset theatrum, hinc  
inde jactando, se ultimo quasi elogio famæ  
Huberianæ constitutum esse hyperaspistam:  
Cum & Clarissimum Eckium, (singulares &  
pene divinas ob animi dotes è Franequera-  
na ad Ultrajectinam evocatum Academiam)  
Ipsam incitasse, (quod tamen absit à Viro,  
mihi amicissimo credam) perversa hæc Hob-  
besii dogmata in eversionem Rerum publica-  
rum, immò libertatis, immò Religionis, nata,  
contra me, eorundem futurum propugnato-  
rem, publicè defendere. Etsi jam Amplissi-  
mus Huberus exoticis haud indigeat defen-  
soribus, cum Filium (cui omnia frustra, fa-  
mamque paternam animitus præcor) Virum  
Clarissimum in Franequerana, jura proficien-  
tè, reliquerit. Constitui tamen, quæ ad-  
versarius ille in me torserit tela, cominus ex-  
cipere. Proin, Amplissime Feltmanne, quic-  
quid adornarim, sic paucis habe.

Huis, ut propriis accedam proposito, cuiusvis legenti patebit, me parte meâ dissertationis tertiâ de Ambitu, ad adstruendum jura Principum, fundamentis philosophiæ Hobbesianæ innixum fuisse, ex eorumque deductione, quæ Principi liceant, quæ verò non, probâsse; hinc haud injuria me motum esse credo, hæc si fundamenta, contra Eos, eadem non solum periculosa, sed pestifera, sed prorsus bruta, clamantes, ita defenderem, quò cuique liqueat, me haud cœco mentis ductu, vel novitatis amore, sed deliberatò, sed veritatis asserendæ studio, eadem esse secutum. Hæc verò fundamenta, cum nemo solidius, nemo magis candidè impugnârit, quam Amplissimus Vir **Ulricus Huberus**, hinc ejusdem argumentis, cum ad stabilendum nobilissimum Hobbesii de Cive opus, tum ad sublevandas meas assertions, respondere, & hujus, & mea interesse credidi. Nec spero quemquam ægrè laturum, quò ad defendenda hæcce dogmata, contra Ampl. Huberum, ut meum adhuc haud ita pridem Præceptorem, insurrexerim, cum adversarium non illustriorem, non magis eruditè, ubicunque maxima judicii lima adsersa, Hobbesio contradicentem, nec magis ad me, si deviarerem, in viam reducendum, aptum, quocunque etiam me verterem, reppererim; in primis, quod hac via, commodissime ad veritatem

tem eatur, cujus indagatio, sola mihi cura est, non vero hæc, ac si ex inimicitijs magnorum Virorum clarescere, conarer. Disputabo igitur contra ea, quæ Vir Amplissimus, in egregio de jure civitatis opere, capite primo, secundo, tertiove Hobbesio opposuit, & quidem eadem brevitate, qua usus est Nobilissimus simul ac Amplissimus Huberus.

S. 2.

Itaque cum positione quarta decima, capituli primi, operis allegati, D. Huberus Juris publici facultatem hanc esse tradidisset, ut *Illud, quod singulis in Republica ordinibus competit, iis recte tribuatur, & justitia in omni regimento custodiatur*, hinc & illud fieri posse existimat, et si *Plato omnia imperia esse corrupta, & Aristides Rempublicam multa egere injustitia dixerint, cum de regimine publico non sit desperandum, quin bonæ mentis tessera in eo custodiiri possit*, quamvis difficillimum in politica practica & ipse fateatur, consilia leviter ab honesto devia ubique vitare. Rejiciendas tamen censet apertas fraudes, quas *Machiavellus*, suo suggestit Principi, quamquam, pergit, *pos. 12. nuper existit, qui flagitia seculi, & scelera dominationum, ex fonte juris, & natura civitatis, specie philosophiæ derivare instituit, Thomas Hobbes Anglus*. Jam, et si Machiavellum, solito calumniarum onere, quo gravius, quam suomet premitur tumulto, levare, hujus non sit instituti, præsertim cum peraribus & prædurus Ejusdem censor, Herman-

AUS

7  
nus Conringius, in Epistola ad Alvenslevium,  
Machiavelli Principi & suis in Eum animad-  
versionibus, præfixa, hoc præstiterit; tamen  
quæ dominationum scelera Hobbes docuerit,  
videnda censeo. Et erunt procul dubio ea,  
quæ capite sexto, & duodecimo Hobbes ha-  
bet. Etenim capite sexto, posteaquam de-  
monstrasset, non posse non, quin is, qui sum-  
mum habet imperium, jus habeat gladii, eo-  
que ad stabilendam justitiam, adeoque & poe-  
nas sumendas utendi, potestatem judicandi,  
leges ferendi, Magistratus, Ministrosque ci-  
vitas eligendi, qui & quomodo subditi sui  
de Deo sentiant, quibus Eum colant ceremo-  
niis, examinandi, subjicit tandem 7. 12. debere  
quoque impune esse, quicquid is fecerit,  
adeoque nec Eundem, Legibus Civitatis te-  
neri, nec cuiquam in civitate, respectu ipsi-  
us, quicquam esse proprii, cum Ei debeat  
obedientia omnino simplex. Fundamentum  
horum omnium est, quod si à singulis, seu  
majore parte civium in alium summum trans-  
feratur imperium, hic in omnes Cives idem  
jus habeat, quod quisque Civium in seipsum,  
extra civitatem constitutus, maxime, quod  
in delatione facta quisque Civium omnem  
suam vim ac potestatem ita transfulisse præ-  
sumatur, ut sua voluntas ejusdem factis in-  
esse credatur, cum per delationem, juri re-  
sistendi renunciarint, hoc enim si non fecer-  
sent, summum imperium penes se cum statu



hostili reservassent, nam quamdiu promiscua  
tutioni corporis & membrorum locus est,  
tamdiu adhuc status remanet hostilis, qui na-  
turae coalitionis omnino repugnat; Itaque  
semper delationi, pactum de non resistendo,  
insit, necesse est; ex quo jam sequatur iidem  
necessarium, ut Principi quaecunque faciat,  
impune sit, cum in primaria juris sui delatio-  
ne per pactum de non resistendo, hoc popu-  
lum voluisse, certum sit. Hinc deducta  
Hobbesiana capit. 12. quod ad subditos nul-  
latenus spectet cognitio boni vel mali, scrup-  
ulosa videlicet disquisitio, num mandata  
Principum sibi bona vel mala sint. Quod  
teneantur ad obedientiam omnino simplicem.  
Quod ad eos cognitio de Regibus, num Ty-  
ranni sint, nec ne, haud spectet, eo quod hi  
nullis teneantur legibus, &, quod eorum a-  
ctis non resistere, semel pactum fuerit. Quod  
nulla cogitatione summum imperium divisio-  
nem recipiat. Quod civibus nullum suarum  
rerum sit absolutum dominium, sunt verissi-  
ma. Quinimo ipse D. Huberus dicit tractat.  
lib. 1. cap. 14. pos. 10. haec adstruit, cum inquit:  
*Tametsi jus habeant imperantes pauci vel singuli  
simpliciter constituti, sic agendi cum civibus, ut hi  
ad patientiam obligentur, etsi dixerint, & inique  
ab illis imperetur, certum tamen & jam antea di-  
ctum est, imperia talium principum esse injusta, &  
sepe detestanda, scilicet quando jus pro bono & equo  
sumitur, vel pro eo, quod Rex facere debet, ex*

pre-

*prescripto Dei.* Et idem asserit Hobbes, eum  
 Principem salutem populorum, veraque reli-  
 gioni non studentem, in dictamina recte ra-  
 tionis, æquum bonumque suadentia, & in  
 Deum committere, expressis affirmet verbis,  
 non solum *num. 2. c. 13.* sed & per totum ca-  
 put Principem in id laborare vult, ut subditos  
 suos ab hostibus externis defendat, ut pacem  
 internam conservet. Ut ii, quantum cum  
 utilitate publica consistere potest, locupleten-  
 tur. Denique libertate innoxia perfruantur.  
 Hac enim pertinent ad commodum propri-  
 um, & utile juris sibi commissi exercitium;  
 at si jus suum in contrarium exerceat, tunc  
*ille nihil minus, quam jus iniuste agendi habet,* in-  
 quit D. Huberus, id sanè verum, quatenus  
 Legi naturali, morali, ac divinae subiacet, non  
 quatenus jus pro lubitu imperandi in subdi-  
 tos, spectat, nam cum D. Huberus, subditos  
 ad patientiam præstandam obligatos tradat,  
 & imperanti jus ita cum civibus agendi esse,  
 asserat, certè respectu subditorum hoc jus  
 imperandi non potest esse injustum, cum pa-  
 tientia quoad subditos, tantum in casu malè  
 administrati imperii requiratur; Quinimò  
 quod exercitium imperii à se solum depen-  
 deat, & ita, quemadmodum exerceatur, hoc  
 populum voluisse, delatio suadeat: Imposuit  
 quidem expectationi civium eo fine coalito-  
 rum, ut quam suavissimè viverent, at hinc  
 in legem naturalem, veniri ut sit molestus,

tradensent, incidit. Quæso Amplissime Vir, an jura imperantis, & naturam Civitatis demonstrare, est flagitia dominationum præscribere? Cortè Ego non putarem. Maneat illæsum imperantium jus, & duret patientia subditis propria! cum quod voluntati, suæ, circa communium rerum administrationem renuntiant, sæmque imperantis arbitrio, se suaque ita commiserint, ut quælibet injurias propria voluntatis Lege pati cogantur; ceu ipse inquit D. Huberus pos. 3. cap. 14. Hoc ergo si ita est, cur Ampl. Vir cap. 9. pos. 3. eorum opinionem respicit, qui genus humanum (verba sunt) libidini paucorum ut marcipia, imò ut bruta animalia subiciant, cum hic asserat, propria voluntatis Lege quælibet injurias, eos pati esse coactos, quod ergo ab initio fuit, voluntatis postea est necessitatis, & cum volenti nulla fiat injuria, consequens est hoc jus esse.

At contra nititur D. Huberus cap. IX. argumentum petens à Democratia, idque è scopo institute civitatis, videlicet, quod populus, ut sibi secure vivere, suoque jure uti liceat, in societatem coerit, & ita in media ad id ducentia solam confuserit. Unde si major pars minorem superare, bonisque exuere mavelit, minores se non solum separare, sed & resistere posse, credit, cum hæc institutioni & fini coalitionis sint contraria; multò magis si periculum mortis minori parti imminerat, cum ex communi & primoq; fœdere in in-

ter-

ternectionem sui conspirasse non videantur. Id, cum  
 & populum voluisse, taciteque in Aristocratia ac  
 Monarchia sibi reservasse tradit, hinc & separatio-  
 nem, imò resistantiam subditis tribuit cap. 10. præ-  
 primis, ait, cum singuli in translatione imperii, se  
 singulis obligarint, ut quantum in unoquoq; esset,  
 bono communi operam darent, hinc & universos,  
 adeoque & superiores, eo pacto teneri vult, cum  
 personale vinculum fidei data, respectu universita-  
 tis elidi nequeat, adeoque Civitatem adversus sin-  
 gulos Civem ream posse fieri injuriæ concludit, sic-  
 que evidenter totam Philosophiam Hobbe-  
 sianam suis cum fundamentis conquassare  
 studet. Hæc ut stabiliamus, videamus, num  
 argumentum hoc in statu democratico o-  
 mninò locum habeat, & si sic, an fundamen-  
 tis nostris repugnet, demum an illud statui  
 Monarchico sit applicabile? Quoad primum,  
 largiamur D. Hubero, multitudinì ob jus  
 omnium in omnes, non amplius statum ho-  
 stilem arrisisse, ideoque hunc in finem, ut  
 securiores & beatiores viverent, coaluisse;  
 mutuisque pactis singulos ad id se obligasse.  
 Largiamur quoque hæc pacta à majore parte  
 fuisse violata; Largiamur hinc minori jus re-  
 sistendi competere. At hoc jus resistendi, ut  
 D. Huberus putat, non provenit à tacito vel  
 expresso pacto securitatem suadente, sed hinc,  
 quod minor pars eo solum pacto voluntatem  
 suam majori subjecerit, si hæc vicissim ean-  
 dem subjectionem spondeat, tanquam si unus-  
 quis.

quisque diceret: *Ego jus meum ad populum transfero, in tuam gratiam, ut tu tuum in gratiam meam transferas ad eundem.* Et sic major populi pars, etsi hæc in statu democratico voluntatem civitatis efficiat, tamen ex pacto singulorum cum singulis in minorem potest fieri injuria, quatenus minori parti eam subtrahit subjectionem, ad quam ex primævo fœdere tenebatur, licet hoc casu res tum ut plurimum ad statum vicissim dilabatur naturalem hostilem nempe, ceu ex subiecto exemplo clarissimè patet. Notum itaque est in conventu democratico quemque jus suffragii habere, heic si suffragia sint disparia, exque eadem imparitate suffragandi, conventus absque tempore & loco iterum congregandi, dissolvatur, tunc utique redit res vel ad Anarchiam, vel statum belli omnium contra omnes. Jam si major pars sua decreta cum internecione minoris, & ejusdem expilatione exequi velit, certè ex mutua hac subiectione, pactoque illo reciproco, quod parem ubicunque causam, & in neminem potestatem coactivam parat, Jus minori datur resistendi, aliumque ad violata pacta reintegranda adigendi. Sique major pars in se civitatem adeoque cogendi potestatem resistere contenderet, ne hili efficeret, cum propter defectum consensus communis civitas non amplius sit, & eo intuitu redit cuique jus, seipsum propria auctoritate defendendi.

dendi. Hoc itaque argumentum fundamentis Hobbesii non adversatur, sed contra ex ejusdem traditis validissime roboratur. Hec autem an statui Monarchico, ubi & idem foedus, consequenter & eodem effectus statuit D. Huberus, sit applicabile? dispiciendum, ego simpliciter negandum censeo, idque sequentibus de causis: primo, *ob diversam rationem vite societatis, ac hinc stabilitate democraticæ, & imperii in unum delati.* Primæva namque multitudo idem mota est, ut in unum coiret, quo tutius vivere, suisque bonis liberius sibi uti liceret, vel ipso D. Hubero adstipulante adeoque ratio dependet à conservatione particulari: At contra, cur civitas mota, ut suum imperium in unum aliquem transferret, fuit ratio stabiliendi, & conservandi bonum publicum, ob continuas rixas in Democratia ortas, aliaque incommoda, quibus tempestivè occurrendis nihil tutius, quam per unum consuli, cujus documentum Romana vetus respublica, ut nota, ita omni exceptione major, existit. Illic igitur respectus particularis, hic universalis, ac ea foedera, quæ ut particularia juvant, plerumque ut ad universum considerata nocent, imò nullatenus locum habere possunt. Secundo ob *formam Democraticæ & Monarchicæ*, quæ in Democratia est foedus omnium cum omnibus. At in Monarchia omnium cum uno, sicque ille dissensus suffragandi, & pactum de minis valente

lente non opprimendo, heic omnino cessat,  
 cum nemo a seipso dissentire unquam nec  
 censetur, nec possit. Et quemadmodum il-  
 lius summa, ipso D. Hubero teste, in eo con-  
 sistit, ut quæ consensu majoris partis statuun-  
 tur, ea cunctos sub dicta securitate obligent,  
 sic contra hujus summa est, ut quæ ab uno  
 statuta, omnes ligent indistincte. Tertio *ob*  
*personas deferentes*, quæ in Democratia sunt sin-  
 guli cives separatim, at in Monarchia con-  
 junctim, & sic ipsa Civitas. Quarto *ob natu-*  
*ram rei delatæ*, quæ cum sit imperium, remanet  
 hoc omnibus commune in statu demoaerati-  
 co, at in Monarchico transfertur, & hoc quod  
 omnium fuit, unius fit. Quinto *ob preroga-*  
*tivam delationis* quæ in Monarchico statu cer-  
 ta, & unius est, cum in democratico, ad ci-  
 ves in vicem separatim consideratos incerta,  
 & nullius sit. Sexto, *ob naturam imperii*, &  
*factæ delationis*, quæ omnia omnino pacta re-  
 spuit, si enim per delationem factam in unum  
 hominem, illud ipsum jus, quod Civitatis  
 fuit, transfertur, ipseque Civitatem repræsen-  
 tet, quæsq; qui cum Eo pacisci posset? Cum illud  
 dicatur esse consensus civitatis, quod singuli  
 in civitate voluerunt, quodque universi in  
 ea potuerunt, & ita omnes cives tum ut una  
 persona considerantur, at hanc personam in-  
 duit Princeps, qui ergo sublata materia ad  
 paciscendum habili, pactum posset interve-  
 nire, nisi Princeps cum seipso pacisceretur, at  
 hoc

hoc inane, & absurdum, quod illud  
quàm se sibi obligaret. Quisnam dicit civis  
imperantem obligare possent, necessario &  
ipsis deberet esse potestas contra eundem  
coactiva, nam alias egregium nihil ista foret  
obligatio, jam, si potestas coactiva contra im-  
perantem subditis esset, etiam summum im-  
perium penes eos resideret; Sed eum con-  
trariae sententiae adhaerentes, summi imper-  
rium imperanti nihilominus adscribunt, hinc  
necessario sequeretur duo summa dabi impe-  
ria, & sic ex una dua coeherent civitates, quod  
utrique absurdissimum, nec quinquam hoc  
paradoxum probaturum credo, cum eodem ita  
foret patens & imperans. Sic haec est origo  
exitiosissimae imperantibus doctrinae, impe-  
rium dividi posse, stituentis, cui omni mo-  
do Principes specioso regentis nominis super-  
biunt, sed verè & plusquam verissime, con-  
tra naturam sui generis, & imperiis serviunt,  
etenim imaginarius hic imperans, sine huius  
illive, ratione non imponendorum tributo-  
rum, & nihil absque convocacione horum il-  
lorumve statuendi, alliget, profectò summum  
imperium non penes ipsum, sed suos limita-  
tores residet. Denique omnium fere impe-  
riorum origo & delatio fuerit omnino sim-  
plex, usque dum quidam malè feriatum ho-  
minum, statum privatum, ut privati igno-  
rantes, quaedam pacta, quae fundamentalia  
vocant (sanè quae sedus iactant a se tyranni-  
dem



dem spectant) seditionibus, aliisque pessimis factis ab imperantibus extorserint, vel conjunctione cum pluribus iniurata, stirpem regiam occisione occiderint, seseque mutuis quibusdam pactis (ut commodum sceleris ad omnes perveniret) obligarint, nisi quidem esse deferendum imperium, sed ut in administratione aliorum conjuratorum quoque haberetur ratio, homini tam Rex sua omnia ad præscriptum sortem non amplius institueret, populum ad rebellionem contra Regem incitarunt, eumque tum vel planè solio dejecerunt, vel in id adegerunt, ut nihil his irrequisitis statuendi sibi jus foret, & hinc origo Legum illarum fundamentalium, totam prorsus regii imperii vim subvertentium, ceu ex historia omnium fore gentium demonstrare, in proclivi est, neminemque vel mediocriter in historiis versatum latere potest. Utinam hi Reges sese vi imperii, sibi tributi, his vicissim eadem facilitate, qua adstricti, exonerassent, licet hoc tentatibus vel in ipsa barbarie pessimè cesseris, cum capita plebis, jam dulcedine imperandi adsueta, non erubuerint sese legitimis his exceptis opponere, populo ad rebellionem excitato persuadere, tyranni intereunti sese opponeret, Regem jure regni cecidisse declararet, non ea intentione, ut populum prætenso servitutis jugo eximerent, sed ne imperio ipsi frustrarentur. Quis enim populum Anglicanum Cromwel-

lio sub protectore liberio rem, quam sub Stuarto Rege adspexit? Quis populum Suevicum sub Carolo Legum fundamentalium putativo propugnatore, magis liberum, quam sub Sigismundo easdem impugnante vidit? Quis Scotos sub Maximiliano jure belli eosdem moderante, magis, quam sub Regibus suis (quos initio, latet quibus Legibus, & cui Procerum conventui subjectos, nullibi easdem enarrans, vel originem demonstrans, narrat Buchananus) servisse novit? Quis liberos Belgas jam minus, quam sub Philippo exactionibus immunes, somniaret? Quis Bohemos liberiores post Lechum depatum, sub Proceribus & populari regimine, quam sub secuto Ducum, & dein Regum imperio, legit? Namque hoc certissimum, omniumque seculorum historia comprobatum est, Libertatem plebejam, in sola consistere opinione, nec quid ultra habere. Simplex enim in omni Reipublicæ facie semper occurrit obedientia sive Regi, sive Proceribus, sive à Democratia electis præstetur: cum imperium sine simplici delatione, non consistere, imò ne cogitari quidem possit. Quapropter, si Princeps jus suum, vi imperii sibi competens exercent, profecto non hinc *reim injuriæ sit*, ut D. Huberus ait, sed potestati, sed officio, sed justitiæ, Jurique sibi delato satisfacit, si enim jura dicant, vi metuque

extorta pacta non esse servanda, cur Princeps, in quem, vel cetera obligatio cadere nequit, se his alligatum profiteretur? Certum igitur est, manente penes aliquem imperio, & ex hoc fluente gladii jure, etiam apud Eundem potestatem debere esse absolutam, nullis pactis limitatam, & licet ab His, jus limitandi non habentibus (cum per rerum naturam hoc subditis tribui nequeat :) limitata sit, tamen innoxiam. Et hæc est vis illa principatus, & conditio imperandi, cujus Sallustius Liviam admonuit, apud Tacit. *annal.* 1. & jus illud regium, quo Northus Rex sese defendit apud Buchananum *rer. Scotticar. lib. 4. p. m. 102.* Contra si eveniat, Imperium non penes Principes, sed subditos querendum, quod utique paradoxum est. Quia necesse est, D. Huberum in eadem esse sententia, dum c. 12. contra Junium Brutum, aliosque Monarchomachos, (quos ceteroquin valide refutavit, Vir pereruditus Guilielmus Barclajus) *constituentem, constituto minime superiorem esse, adstruat.*

## §. 4.

Capite sui tractatus secundo, D. Huberus, tradita juris naturæ definitione, postquam eodem homines ad facienda recta, & omit-tenda turpia teneri docuisset, haud incommodè *pag. 18.* inquit, unde homo ad servanda hæc juris naturæ, rectæque rationis dicamina obligetur? & inquit: *Causam hujus obli-*

obligationis non ex potentia irresistibili, non ex beneficiis neque ex *improxi* & eminentia Nominis sed ex dominio Dei in hominem; perentorie ut ita loquamur, petendam judicamus. Reverà hac assertione D. Huberus tacitè tertium Philosophiæ Hobbesianæ caput, quod est de religione, convellit. Hobbes namque cum *cap. 15.* tradidisset, Deum jus regnandi ab omnipotentia sua habere, ideo validè *n. 7.* concludit, quod cum infirmior validiori non possit non obedire, homo vero naturâ sciat, se haud esse omnipotentem, ideo metus & imbecillitatis propriæ conscientia dicitur, DEO esse obediendum, & insuper sana ratio, omnibus DEI omnipotentiam & providentiam agnoscantibus, suggerat, non esse calcitrandum contra stimulum; adeoque secundum Hobbesii sententiam necessario à metu & potentia irresistibili, non dominio DEI in hominem hæc obligatio oritur, & hanc Hobbesii sententiam esse verissimam adseverare Ego nullus dubito. Largimur quidem facilè D. Hubero Deum Optimum Ter Maximum ex suo in omnes peræquo dominio tenere homines ad sua dictata servanda obligatissimos, ex eoque jus eos puniendi habere, cum omnipotentia Hobbesiana dominium supponat, & quin DEUS secundum eandem, obedientiam universalem a cunctis mortalibus sibi præstandam, habeat, indubiam est. At cum in quacunque obligatione duæ adsint personæ ne-

esse sit, obligans videlicet & obligatus, hinc  
 dispiciendum, an obligatio servamen jurium  
 naturalium dominium DEI, an verò irresi-  
 stentia suadeat? Ponamus itaque hominem  
 in statu nature hostili positum, hic se nulli  
 subiectum novit, nisi potentia alterius vali-  
 diori, adeoque metu & irresistētia, vel in-  
 ito pacto subjugetur, hocce verò pactum  
 cum in regno Dei naturali omni modo ces-  
 set, superest, ut conscientiam humanam infir-  
 mitatis, quæ hic perpetua est, numini huic  
 æterno se subiectum sciat.

Capite tertio D. Huberus ipsum Hobbesia-  
 nœ Philosophiæ principium ut ita dicam prin-  
 cipatum & columnam, cui tota est superstru-  
 ctâ moles, evertere arripitur; Videndum  
 igitur quam validis machinis eandem sub-  
 mtere tentet. Primo itaque, (ordinem D.  
 Huberi sequar) cum capite secundo enarras-  
 set, illud solum juris esse nature, quod ratio  
 necessaria præcipit ac prohibet, hinc jam  
 concludit contra Hobbesium, non rectè sta-  
 tari fundamentum juris nature, ut quisque vi-  
 tam & membra sua, quantum possit, tueatur, ac  
 quam rectè videamus. Potuit Hobbes hoc-  
 ce juris nature fundamentum ex insito uni-  
 cuique appetitu naturali, qui est, ad illud,  
 quod sibi bonum arripendum, & malum fu-  
 giendum, in hac appetitu si quis turbetur, ni-  
 hil sibi prius succurrere potest, quam modis

ad id ducentibus turbationi huic resistere, suamque vitam & membra, contra turbantem, quæ hinc læderentur, tueri, nec quid verius & solidius excogitari possit, video. Etenim Hobbes & ego non inficiasimus, re-  
lata ab Hubero juris naturæ dictamina pri-  
maria his hominibus non fuisse insita, natu-  
si nec tunc, antea & postea hæc habuissent,  
sed hoc est, quod absolute negamus, ob cor-  
ruptissimam hominis naturam, exercitium  
dictaminum naturalium, ante civitates & so-  
cietate coactas, fuisse inter homines positum  
frequentatum, & argumento sic, communio  
omnium rerum tunc usurpata, quam & D.  
Huberus agnoscit, ex qua communione non  
potest non status hostilis derivari, utique,  
cum unicuique in omnes res idem jus esset  
& unus rem communem arripuisset, certe  
non poterat non, quin alter rem hanc ut  
communem, adeoque & suam sibi vellet,  
hanc vero sibi eripi, cum id bonum sibi non  
esse videret alter, & alius sibi malum, hanc  
non habere, quid aliud inde, quam status ho-  
stilis? quid ex statu hostili aliud, quam sui  
defensio fluere poterit, certe non video.  
Adeoque ipsa natura quidem primitus hoc  
præceptum suggererat, ac rationationem,  
quatenus sibi bonum vel malum, suggererat,  
contra quam D. Huberus ipse putat, &  
hinc differt ab iis, quæ sunt *Ex. de iur. naturæ*  
*lib. 1. c. 15.* quæ absque rationatione, nobis cum

brutis sunt communia. Nec contra facit, quod D. Huberus hocce fundamentum juris naturæ locum non habere censeat, si per jus intelligamus regulam actuum moralium, qua obligamur ad id, quod rectum est. Cum nos in statu naturali, per jus ex hoc statu deductum, nihil aliud indigitemus, quam libertatem, qua quisque fruitur facultatibus naturalibus secundum rectam rationem utendi. Numero dein 7. & 8. ipse D. Huberus hoc juris naturalis fundamentum, in jure domini, jure herili, jureque patriæ potestatis agnoscit, & nil prius in eo reperit, ait, *quom id, quod vitam, & membra quemque sua tueri docet.* Agnosco quidem in jure domini vindicando & asserendo hocce fundamentum, at minus in jure herili, minime patriæ potestatis. Nam si hoc in jure obtineret herili, utique, necessario servo suggereret, vitam & membra sua contra violentiam Domini esse protegenda, & hinc, cessante pacto concessæ libertatis utendi in commodum domini membris suis, jus esset servo aufugiendi, imò & dominum, quo magis tutus & illæsus foret, interficiendi. Et in jure patriæ potestatis hoc si locum haberet, patet posset castigando filium injurius in ipsum fieri, & sic licita esset filio membrorum suorum tuitio, contra quam Hobbes, ubique quàm rectissimè prodidit. Pergit D. Huberus *pos. 9. 10. & seqq.* & negat, ex jure quod quisque habet, omnibus utendi mediis, & agendi quid-

quidlibet, sine quo se conservare nequit, & ex jure sibi, de medijs istis dijudicandis retento, sequi illud *jus cuique in omnia competere, quod tamen ex natura rerum communium, & jure cuique in eadem peræquo, verissimum est.* Nec interest, num *pos. 12.* excipiat, hoc quidem verum esse, nisi quatenus *vita aliter conservari nequeat; & alteri iniqua non inferatur conditio.* At rehero, nulli in statu hostili iniquam conditionem inferri posse, cum & jus suum, ex iisdem principiis deductum, manente statu hostili retineat. Nec obstat instantia illa, Huberiana; *quod homini insitum sit studium societatis, nec eandem societatem cum licentia se invicem lædendi, haberi posse, pos. 14. & 15.* quod nec & nos negamus, videlicet ipsis principiis societatis, tacitum, de sese non amplius lædendo, inesse pactum, hoc tamen minime ante societatem initam obtinet. Nec facit, quod *pos. 16.* D. Huberus ajat, *naturæ quandam inter homines cognationem esse, sanè quatenus omnibus insitam sui tuitionem spectat,* nec regula illa Christi *pos. 17.* allata, huc quadrat, cum cuique salvum maneat jus, & in vindicandis mihi rebus, & alteri idem jus relinquo, & sic contra. Quapropter nulla hic manifesta injuria, secus ac ille autumat *pos. 18. 19. & 20.* oritur. Quæ dein à *pos. 21. ad 26.* Contra Hobbesium D. Huberus disputat, *quod quidem metus; at non ambitio & avaritia ad societates ineundas aliquid contulerint, cum*



*he post institutas civitates primò nate videntur,*  
 hoc superflue ex appetitu plurium ad eandem  
 rem, & contemptu inter se invicem, ex æqua-  
 litate orto, refutatur. Negamus quoque,  
 cum nullam validam rationem adferat D. Hu-  
 berus, *studium, ad societatem Reipublice incun-*  
*dam, immediatè à natura profuxisse, sed contra*  
 statuimus, communionem, & omnium in o-  
 mnia æquale jus creasse primò confusionem  
 omnium rerum, & dein mutuum metum ob  
 intuitam possessionem, de sibi non eripiendo,  
 huncque dein metum homines in majorem  
 sui defensionem ad societates pellexisse; quod,  
 profecto naturali rationi tam conveniens est,  
 ut nihil possit excogitari convenientius:  
 Concipio ego quidem naturalem ad societa-  
 tem instinctum, quatenus homo ducitur ad  
 propagationem sui, adeoque mutuan, tam  
 in mare, quam foemina, ad propagandum  
 propensionem, quæ cum absque associatio-  
 ne fieri nequeat, superest, ut natura hominem  
 ad talem societatem incitet. At nullatenus  
 ego concipere possum, hominem natura ad  
 societatem rerum suarum cum aliis incun-  
 dam, duci, quæ enim prægnans ad eam possit  
 inveniri ratio, nulla sana Philosophia sugge-  
 rit. Porro concedimus quidem D. Hubero,  
*societatem ea, sine quibus conservari non potuit, ob-*  
*servari voluisse, at negamus hoc naturà pro-*  
*venisse, sed tantum expressa vel tacita juris*  
*sui renunciatione, cum inita societas à con-*  
 tra-

trahentibus legem accipiat, non hæc leges præscribat, & ea demum pacta, tacite vel expresse observata, nomen societati dent. Hæc contra. pos. 29. 26. §. 27. dicta sunt.

## §. 6.

Numero dein vigesimo octavo hæc subjicit, D. Huberus: *Quia talia dictata non modum legum habent, ex imperio DEI, sed exinde quoque jus nascitur inter homines invicem, sicut inter cives cujusque Reipublice jus contra se invicem ex Legibus oritur.* Non negamus violatores hujus juris in Deum committere, quatenus legi sibi natura inditæ contrariantur, sed hoc negamus, illud jus, quod in conscientia solum ligat esse relativum ad homines invicem, nec subjectos, sed æquales, nisi expresso pacto in illud consenserint, suamque voluntatem circa hoc pacto declararint, quinimò nec & in civitate jus contra se invicem ex legibus oritur, ut D. Huberus autumat, nisi hoc fieret ex pactis ante initis, de Legibus non resistendo, eique, qui in eadem deliquit, non auxiliando. Itaque cum dictamina illa juris naturæ non sint ad homines in statu naturali invicem relativa, necessum est contra hypotheses illas Hobbesianas à D. Hubero a pos. 29. usque 35. relatas, esse verissimas. Porro posit. 35. D. Huberus improbat dogma illud Hobbesianum, scilicet, *jus nature pacem exinde solum suadere, quod bellum homines sibi incommodum experti essent.* Quid quin veritati

maximè consentiri sit, non video, quid quæ-  
 so hominibus ad mutandum statum fortius  
 impellis, quam si multis in eodem fuerit sub-  
 jectus incommoditatibus; & concordia;  
 quam D. Huberus naturalem, esse urget, non  
 nisi in ipsa civitate & in ita societate locus est,  
 & hinc inprimis, quod discordiam sibi non  
 bonant in statu hostili fuerint experti, nec  
 proin falsa, ut D. Huberus, autumat, sed ve-  
 ra hypothesis est, *nature jās dicere, in civitate  
 instituenda retedendum esse à jure omnium in omnia,  
 quia pari hoc noctuum est.* Et quanquam D.  
 Huberus *pos. 38.* tale jus existere neget, hoc  
 tamen superque communio rerum, ab ipso-  
 met agnita stabilit. *A possit. tamen 39. usque  
 50.* D. Huberus probare conatur, in ipsa  
 communiōe, & ante equalitas civitates fuisse  
 cognitionem & usum aliquem mei & tui, id-  
 que hoc argumento: *Videlicet in paucitate &  
 raritate hominum ante constitutas civitates viguisse  
 potestatem patrum familias, in hisce familiis putat  
 unamquēque ea, que non sunt communicativa sui,  
 sibi arrogasse, & nefas fuisse hoc eripi; Quod ergo  
 quis ita habuit, ut absque injuria sibi non potuerit  
 eripi, ibi necessario usus mei & tui fuit.* Respon-  
 deo, si D. Huberus supponit unam aliquam  
 familiam, sub uno Patrefamilias degentem,  
 ibi non potest non, quin mutuum consensum  
 huic obediendi, si institutiva, vel consensum  
 necessarium, si naturalis sit familia, adeoque  
 herile, vel à matre in liberos suos deriva-  
 tum,

tum, adeoque paternum agnoscat imperium.  
 & hinc omnium jus in hunc unum transla-  
 tum ponat, hoc si facit, ceu quod negare  
 nullo modo potest, tum illa familia civitas  
 est, & consequenter ex voluntate Patris fa-  
 milias æquè ac in civitate, quis aliquid, re-  
 spectu sui invicem, sibi arrogare poterit, al-  
 terumque hoc eripere cupientem, injurium  
 in eundem fieri, dubio caret. Sin verò ge-  
 nus humanum in plures divisum proponat  
 familias, idem hoc in unaquaque familia ob-  
 tinet, at, quoad familias ad se invicem consi-  
 deratas, manente statu hostili, omnia erunt  
 omnibus, nihilque proprii quis præ alio sibi  
 tribuere poterit, etiamsi res sint incommu-  
 nicabiles, etenim dissoluta si esset multitudo,  
 absque capite familiae, et res quas quis sibi  
 ad victum elegit, & quas vicissim alter sibi,  
 quin ab utroque alteri auferri possint, In du-  
 bium, si id sibi bonum videatur, nam ad hoc  
 solum jus naturæ in statu naturali collimat.  
 Originaria proin mei & tui cognitio, cum ipsa  
 civitate coepit, nec derivativam cum D. Hube-  
 ro, agnosco, cum nemo sibi jus bona commu-  
 nia transferendi invito altero, cui idem in  
 iis jus est, tribuere possit, quinimò quod ex  
 eadem hac ratione nulla acceptatio hic co-  
 gitari possit, quæ valida ad retinendum, ali-  
 umque tertium jure suo privandum foret,  
 hæc *pos. 51. 52. 53.* oppono. Quamobrem ar-  
 gumentum à vi translationis. & jure stipula-  
 tie-

tionis defunctum omnino corrumpit, cum talis  
 translatio juris sui non possit fieri, nisi & o-  
 mnes sibi consentiant, quia dominium cui-  
 que in eadem res est absolutum, talis verò  
 omnium consensus si sit, civitas nascitur, in  
 qua maxime ligat hæc delatio. Quin quo-  
 que hoc inter duos inita promissa ceu nulla  
 ab utroque contrahentium retractari possint,  
 indubium, si ratio mea metusque dicent, hoc  
 mihi bonum non esse. Quinimò si largiret  
 recessui non esse locum, hinc illud sequere-  
 tur necessario, societatem inter eos esse con-  
 tractam, statique hostili renunciatum, eoque  
 modo obligationem inter hos ad vim propel-  
 lendam mutuo esse natam, adeoque mero  
 statui naturali hoc perinapplicabile, cum hic  
 non alias, quam in confusa multitudine sibi  
 invicem non subjecta, non vinculis promissis  
 que ligata, considerari possit, ideo ea argu-  
 menta societatem redolentia primævo statui  
 hostili per sunt incongrua, hæc contra *pos. 53.*  
 & *seqq.* dicta volo. Quæ dein D. Huberus,  
 de dictamine juris naturæ, ejusque debita in  
 quocunque statu observantia edisserit, in sta-  
 tu hostili & communi nullatenus obtinent,  
 cum in statu naturæ corrupto, & à propria  
 ratiocinatione, quid sibi bonum vel malum  
 sit, dependente, qualis noster naturalis & ho-  
 stilis est, nulla ut dictum & probatum sit re-  
 latio ad se invicem, ideoque sublata hæc, et-  
 iam ex dictamina, in civitatibus demum ob-  
 ser-

servari sueta, planè tolluntur. Quæ dein à  
 pos. 75. ad 80. de Legè cordibus nostris inscri-  
 pra, & hujus, tanquam omnibus hominibus  
 communis, vi, disputantur, tantùm relativè  
 ad suum Creatorem Deum scilicet locum ha-  
 bent, qui ex eadem eò maxime contra homi-  
 nes, ut reus, vi propriæ conscientiæ confi-  
 tentes, & ita semetipfos damnantes, jus pu-  
 niendi habet, minimè verò ad cætera confu-  
 sæ multitudinis capita relativè pertinent,  
 ideoque verissimè Hobbes dixit: *Ante citraque*  
*pactiones initas nihil injuriæ posse committi.* Cum  
 antea nulla fuerat obligatio, nullumque fœ-  
 dus, quo quisque alteri tenebatur, sic nulla  
 poterat fieri injuria, utpote in sola pactorum  
 violatione consistens, ubi omnia erant om-  
 nium, absque ulla restrictione. Erat qui-  
 dem bellum omnium contra omnes; & hic  
 illeve premebatur, sed jure, cum idem contra  
 oppressorem sibi jus erat perpetuò, ideo hoc  
 bellum non justum, licitumve erat inde, ut  
 ille qui viribus prevalebat, jus puniendi violatores  
 humane societatis exerceret. Ceu D. Huberus  
 pos. 83. asserit, nam quæso, qui poterat hu-  
 mana societas violari, cum non erat con-  
 venientius hoc dogma est Civitatis, ubi ma-  
 jor civium pars, adeoque prævalens, mino-  
 rem societati civili contrarium, jure punire  
 potest, cum utriusque statui sit renunciatum  
 hostili, & hi tum demum violatores humane  
 societatis quamquam in proprio dici possent.

Hæc igitur in meam Hobbesique defensionem, contra argumenta Viri amplissimi Huberi in medium protulisse, hac vice sufficiat, quibus si quis acquiescere nolit, tunc hoc unum expeto, ut eadem modestia, qua erga D. Huberum & libens, & debitè usus sum, me excipere, haud dedignetur. Profectò non sperneadum hanc in rem elogium, quòd Magnus ille Grotius, in Prolegomenis nobilissimi de Jure Pacis ac belli operis, Scholasticis Philosophis tribuit, videlicet, Eos; quanquam diversa tuendi studio semper tenerentur, laudabile tamen præbuisse modestiæ exemplum, solidisque certasse argumentis, non, (qui mos nuper adeò litteras inquirere cepit) convitiis; turpi fœtu impotentis animi. Igitur hic subsisto, cum aliquando scopum ac usum Philosophiæ Hobbesianæ, in quacunque Reipublicæ forma demonstrare, divino annuente numine, animus mihi sit, ubi tum animum haud habebò difficilem Thomasticum, aliorumque non ferenda, & undique conquisita, corrogatave in Philosophum nostrum evomit, refutare convitia. Tandem, ut ad Te, Mecœnas Optime! à quo cepit mea regrediatur epistola, hæc qualem qualem judicaveris, æqui bonique consulto, meque excusatum, quòd epistolæ modum excesserim, Teque justo longiori, onerario, ac cogitatione. Tuas ad alpicra directas

Etas

Quas interruperim, habeto : Quanquam hanc  
 materiam, à cujus vera decisione plurimo-  
 rum regnorum salus dependet, non indignam  
 judicaverim, quæ Illustri tuo nomine præ-  
 fulgens, publicæ eruditorum censuræ subji-  
 ciatur. Proin, si in Ejusdem pertractatione,  
 vel Tibi uni non displicuero, sat erit. Inte-  
 rim Deum oro, ut Te Tibi quam suavissimè  
 vivere, ac Republicæ litterariæ quam diu-  
 tissimè præesse, sinat. Vale tuo Illustris me-  
 rito Feltmanne. Quid Tibi hac de materia  
 censendum videatur, si per otium licuerit, ut  
 mihi exponas, ea, qua in Te est ingenuitas,  
 suadet, jubet, cui inhærens, se, ad quæcunque  
 officia paratum hisce testatur

*Ment. Beb. Kettwig*  
 J. U. D.





